…aham

Jodłowski Stanisław: Simulachrum meritorum D. Abrahami Gołuchowski –

SIMVLACHRVM MERITORVM,

Illustris ac Magnifici Domini,

D. ABRAHAMI

A GOLVCHOW

GOLVCHOVVSKI

Stężycensis, Vislicienſis &c. &c.

CAPITANEI,

Viri longè dignisſimi & deſideratisſimi lugubri penicillo adumbratum,

&

In Funere luci publicæ ad inſpiciendum, & ſeræ poſteritati contemplandum,

Per

M. STANISLAVM IODLOVVSKI, Artium & Philoſophiæ in Academia Cracouienſi Profeſſorem

EXPOSITVM.

Anno reſtauratæ humanæ ſalutis M. DC. XL. VII. IV Nonas Decembris.

CRACOVIÆ,

Apud Lucam Kupiſz, S. R. M. Typogr.

a.

Supplem. ad Parent. Acad. ...hus.

In antiquæ & inclytæ domus insignia ZEBRZYDOVIORVM.



Dum belli signũ Mars præsentaret Amori,
Quo se Relligio protegat atq; fides;
Tum ZEBRZyDOVIVS contraria signa repandit,
His ait, his Pietas vincere sueuit. A bi.

In Gentilitium decus ZVKOVIORVM.



Quàm benè conueniunt & in vna sede morantur,
Crux soleam iungens, armisonũq; pedẽ?
Credite ZVKOVII vestræ per symbola gẽtis
Fructificare solũ, ritè fauere polum.

ILLVSTRIBVS & MAGNIFICIS
DOMINIS,

D. MICHAELI
A ZEBRZYDOWICE
ZEBRZYDOWSKI,
Ensifero Regni, Lanckoronensi, Sniatynensi, &c.
CAPITANEO;

NEC NON

D. ALBERTO MAXIMILIANO
De Magna Zukow
ZVKOWSKI,
SVBIVDICI Sendomiriensi, Vicecapitaneo nouæ Ciuitatis Corcynen: &c. &c.

DD. EXECVTORIBVS

& meis Patronis amplissimis.

ETSI pullata hæc ingenij mei opera, summoperè huic ferali pompæ adesse cupijt, Illustres & Magnifici Domini, tamen priusquàm magnorum præsidijs Heroum fulciretur, & benigno fauoris radio collustraretur, omninò renuit comparere. Verita quippè est maximè, ne vberrimo lachrymarum stillicidio decolorata, mordaci Zoilorum linguæ se lacerandam præberet, & ab vltimo obsequio demortuo Heroi præstando prohiberetur. Et verò, non defuêre multi, quorum sub patrocinio securè in solem prodiret Patroni, Vestri nominis gloriâ contenta recreari & muniri expetiuit. Cur ita? non dubitat enim Zebrzydouiorum (vt paucis aliqua attingam) famam veluti flammam tam latè diffundi, vt nullum hoc in orbe Polono, tam sublime dignitatis fastigium, Equestri ordini concessum, reperire liceat, quod inclyta eorum virtus non meruerit, & maiori splendore non adornârit. Quandoquidem siue Ecclesiasticos honores intuebimur, eos Illustrißimorum hac de stirpe Antistitum virtutibus pulcherrimè splendere animaduertemus. Siue per horrida furentis Gradiui castra spatiabimur,

bimur, ibidem huius gentis nobilissimæ viros bellicæ artis peritiâ insignes stupebimus. Siue deniq; inter grauissima Procerum regni subsellia commorabimur, Nestores, Catones, Tullios licebit intueri. Quæ omnia cùm magna sint, maiora tamen censenda, quòd in Te vniuersâ reperiantur. Quis enim Tuæ pietatis in Patriam ac fortitudinis clara argumenta non videt? quæ rebellium Cosacorum profligator strenuus & sæculo præsenti videnda, & seræ posteritati stupenda exhibuisti. Quis maturam in consilijs Reipub: dandis prudentiam? quis in obeundis negotijs publicis quâ domi, quâ foris dexteritatem? quis in propagando bono communi zelum non miratur? Et hinc est, quod incredibili amore Te Polonia tota prosequitur, cùm eius amoris gratiâ, nihil arduum, nihil difficile, nihil non aggrediendum arbitraris; vt verè & sine inuidia illud Tibi adscribi possit, Vtrâque CIVIS. *Sed vt quoque in Nobilissimam ZVKOVIORVM Prosapiam oculos mentis conijciam; an non & hæc vt antiquitùs meritorum amplitudine claruit? ita nunc quâ belli, quâ pacis tempore effulgere non desistit. Nam vt alios plurimos nobilissimos huius stirpis surculos prætercam, quis Tuæ prudentiæ vigorem SVBIVDEX æquissime, non illius modò quæ priuato bono subuenit, sed & illius quæ in publicis promouendis commodis tota occupatur attonitus non obstupescet? dum frequenter plurimi ad Te veniunt consilium petituri, dubij, redeunt autem salubri Tuo consilio confirmati, in opus expediti. Has Tuas ingenij eximias dotes perspexêre Illustrissimi Duces in Zbaraz, qui semper & amore singulari Te prosequebantur, & in negotijs grauioribus, Tuis consilijs vtebantur. Vidit Tuæ prudentiæ specimina Castrum Checinense, quod Te suum Iudicem æquissimum venerabatur. Splenduit in Senatu Tua prudentia, dum ad comitia regni omnium voto ordinum electus mittereris. Enituit in Iudicijs Tribunalitijs, dum ibidem boni Iudicis partes obires. Sed quid multis opus est, qui Tuæ splendorem prudentiæ laudare vellet, Soli lucem addere conaretur. Ego certè cùm multa alia prætereo, & liberalitem silentio inuoluerem, nisi illam apertè Ecclesia Parochialis Corcynensis sacello adaucta; Mansionariorum numerus ad officium Deiparæ decantandum ampliatus; Xenodochium abundè satis tribus millibus florenorum dotatum loqueretur. Quocircà tot ac tantis splendidissimarum virtutum VESTRARVM ornamentis Illustres & Magnifici Domini, lugubre hoc meritorum simulachrum collustrari desiderat. Hu armatum & ornatum lucem publicam aspicere gestit. Sub Vestris patrocinijs tranquillè quiescere exposcit. VOS triste licèt serenâ fronte recipite, & quo Defunctum, hoc virtutum eius adumbratam imaginem affectu prosequimini.*

Illustrium & Magnificarum Dominat: Vestrarum

Cliens humillimus

M. STANISLAVS IODLOVVSKI.

SIMVLACHRVM MERITORVM.

SI quando gens inclyta & peruetuſta GOLV-CHOVVSCIORVM, aut grandem ſuæ Familiæ cladem ſenſiſſe, aut vulnus doloris plenū accepiſſe queſta eſt; nunc certè tam acerba & funeſta ſibi euenêre, quibus non mortalium quiſpiam laxamentum porrigere, ſed ille duntaxat, cuius nutu ſunt inflicta, iuſtam poſſet medelam adhibere. Nam quem virtutis gloria, cum ſumma laude ad Cœlum extulit, eundem indomita Parcarum tyrannis omnium præter opinionem, è medio viuorum, ſuſtulit, deturbauit. Obijt diem vltimum Vir ille, cui proſpera quæque ac diuturna optabamus; obijt inquam eruditiſſimus ABRAHAMVS, Genere GOLVCHOWSCIVS, dignitate ac officio CAPITANEVS, qui ſuæ Familiæ veluti caput, eximiumq; decus prælucebat. Emortua lingua multiplici peregrini ſermonis nitore condecorata; vultus amænus, authoritate grauis intumuit; oculi motu ſerij, intuitu humaniſſimi perenni tenentur ſopore. O inauditam mortis ſæuitiā! quæ intra dies paucos, viuaces illas facultates, naturalem, animalem, & vitalem confudit. O diem nefaſtum, & nigro calculo notandum! qui virum iuſtum inopinatò ex hac vitæ ſtatione decedere & ad tribunal ſummi Dei ire coegit. Eheu ſpes fallaces mundi, & irrita fortunæ ſpecimina, homines ludibria eſſe, quicunq; dixit, verè dixit: quippè dum maximè ſpe longioris vitæ alimur, fallimur. O vitæ humanæ iucunditatem, ſatiùs dicam acerbitatem! cùm dies ac noctes cogitandum ſit, iam iam eſſe moriendum: ſi quidem vt ſaxum Tantalo mors ſemper impendet nobis. En modò vniuerſi lugemus, & alto corde lugemus, immaturum viri paucis æquandi occaſum; quem ſi ob virtutis amorem, nobiſcum tota Lechia, immò omnis poſteritas ſequēda lugeret, parum eſſet. Ad cuius virtutes mentis & moris delineandas, ac conſpectui noſtro patefaciendas, ſi cum Zeuxide Apelles, vel ſi aliquos parens rerum natura ſa-

gaciores genuit, exercitatam admouerent manum, nequaquam intentum consequerentur. Si præstantissimi, vt transacti ita moderni sæculi Oratorum, suâ facundâ linguâ eius dotes ingenij enarrare conarentur, illas quidem cogitare, at stylo pro earū dignitate prosequi, nullo modo possent. Quid igitur in tanta doloris vi? Ergone cor nostrum premi dolore, & vix non præfocari sinemus? Ergò lachrymas naturâ duce vbertim cadentes, ac sæuitiem mœroris leuantes impedire non valebimus? Minimè gentium viri lectissimi. Sed cùm nulla spes ab interitu ad vitam eum quem deploramus vindicandi conceditur, licet omnes in vberes lachrymarum riuos dissolueremur; commodiùs iudico abstineamus à gemitu, & lachrymas æquissimè manātes temperemus, reprimamus; simulq; demortuo CAPITANEO simulachrum virtutum nunquam interiturū decernamus ac statuamus. Hoc quippè modo vbertatem eius meritorum contemplantes, & veluti ex feraci messe pauculas spicas legentes, cùm dolorem Herois ex obitu susceptum leniemus, tum rectè factorum exemplar posteris tardè victuris venerandū, ac imitandū relinquemus. Quo in passu ita me geram, vt & Prosapiæ splendorem GOLVCHOWSCIORVM digito summo tenus attingam, & è diuite virtutum penu viri auidâ morte nobis erepti nonnullas vestrum in obtutum adducam. Quod si Aborigenes à sancta & orthodoxa fide alieni, cuilibet ciuium, vt viuentiū ita mortuorum, de illorum Repub: benè meritorum simulachrum publicum decernebant, ac in foro patenti, locoq; editiori vniuersis transeuntibus spectandum liberè proponebāt; nos æquiori sanè iure, non ære fusum, sed ex ampla Viri defuncti meritorum serie confectum; non ex aliqua solidiori materia conflatum, sed ex pijs operibus in aliquot schedulis calamo stridenti adumbratum Heroi optimo, & de singulis huius regni Incolis meritissimo, decernere ac statuere obligamur. Illi præsertim viro, cuius tanta virtutum multitudo est, vt difficilè sit cognitu, vnde initium ducendum, vel vbi finis statuendus. Siue enim nobilissimæ vetustatem Prosapiæ, cuius hic palmes nuper succisus emarcuit, perpendemus; equidem vel totius Poloniæ iudicio, plurimas antecellit; siue dignitatum & honorum amplitudinem contemplabimur, tanquam summum equestris gloriæ culmen, tam in palæstra pacatæ Mineruæ, quam in arena inuictæ Bellonæ conscendisse videtur. Ac primùm libeat solummodò nobis, & temporum testem & veritatis lucem paulisper introspicere Historiam: an non

an non facilè comperiemus? Leliuiorum gentem, annos an-
te millenarios insigniter floruisse, & plurima egregiè facta,
quâ domi, quâ foris, quâ belli, quâ pacis tempore suscitasse,
reliquisse. voluite Cromeri, Orichonij, Longini, aliorumque
sexcentorum, fidelia rerum gestarum monimenta, experie-
mini huius surculos stirpis, cùm sub primo Vladislao huius
regni Principe, optimos & opimos huic Reipub. fructus pe-
perisse; tum sub alijs superiori longè tempore, Regales impe-
rij fasces tenentibus, magno persæpè suæ Patriæ auxilio, & de-
cori extitisse. Non pigeat vos annalium lectionis, cognosce-
tis splendida GOLVCHOWSCIORVM insignia, cum
illis Familijs coniuncta esse, quæ virtute, fortitudine, pietate,
in Patriam & Deum gloriosum, multas alias vicerunt. Quis
enim immanitati hostium sæpius opposuit humanitatem?
Leliuij. Quis vitam carissimam, cum bonis fortunæ in di-
scrimen vocauit? Leliuij. Prodeat echo Illustrium quon-
dam Comitum de Tarnovv, TYSKIEVICIORVM, CHLE-
BOVICIORVM, quorum virtus singulorum, quàm præ-
clarè enituerit & quàm latè extenderetur, Historici enco-
miis deducunt multis; cum totum id quod possidebant,
pro incolumitate Patriæ, & Regum suorum dignitate atq;
amplitudine vt resisterent, liberalissimè profundebant. Quæ
cum à me de recensitis Familijs proferuntur, meditemini
quæso viri amplissimi (libera enim vobis est mens) gentem
GOLVCHOWSCIORVM, cum his vel æquali sem-
per passu incessisse, vel vt de antiquitate, ita honorum am-
plitudine certamen instituere potuisse, immò etiam & num
posse. Quod ne cuipiam dubium esse possit, viros aliquos,
de bustis obsoletis euocatos, vt pietate in Deum, & Patriam,
animi solertiâ, legum peritiâ, ac cæteris virtutum decoribus
decoros, ita ob Reipub: Studium, Regibus & Principibus
summopere commendatos, vestros ante oculos produco.
Quid? Vultisne vobis de Cleri ordine aliquem statui? Adest
Illustrissimus olim Ferdinandus de Goluchovv Cuiauiensis
dignissimus Antistes, cuius quanta fuerit rerum omnium tam
diuinarum quàm humanarum cognitio, illi optimè sunt ex-
perti, qui sub eosdem annos vixêre, & sœpenumero in re-
bus dubiis salubre consilium ab illo expetiêre, retulêre. Illi
apprimè viderunt, quàm prudenter suam Diæcesim gesserit,
eius bona restaurârit, & populis suæ ditioni subiectis, quan-
to probitatis exemplo præluxerit. Adest Perillustris & ve-
nerandus Stanislaus de Goluchovv, Sendomiriensis olim

Præpoſitus, qui ob eximias ingenij dotes, non tantùm magnis in Repub: viris gratus extitit, Proceribus regni ſuam prudentiam in agendis, dexteritatem in arduis & difficilibus perficiendis clarè exhibuit, ſed etiam ipſumet Sereniſſimum Poloniæ Principem ſui in amorem pellexit, effecitq; vt eum maioris Cancellariæ regni Præfectum conſtitueret, & grauiſſima quæq; illius curæ expedienda commendaret. Qui niſi á morte (cuius iuri omnis ætas etiam iuuenilis obnoxia eſt) in aliam non fuiſſet tranſlatus vitam, procul dubio, & ſui ingenij euidentiora ſpecimina patefeciſſet, & ſuæ Proſapiæ maius lumen (licet eo non indiga ſit) attuliſſet. Deſideratis Heroas in ciuili magiſtratu clariſſimos? eorum ſatis prolixam (ni breuitati Studeam) præſto habeo ſeriem producendam. Si enim viros dignitate Palatinatus inclytos poſcimus, en ſe offert Prædiſlaus GOLVCHOWSKI, Caliſſienſis Palatinus, authoritate, morum decentiâ, apud omnes commendatus; cuius virtutes Hiſtoriographus multas quidem recenſuit, has tamen præcipuè ſeræ poſteritati, ſuo in codice legendas notauit, cùm dixit virum fuiſſe magnanimum & moderatum. Si Comites optatis? intuemini Petrum de Gołuchovv iſto honoris gradu inſignitum, qui ſœpiùs cum hoſtium turmis conflixit, quàm alij manus cum inimico conſeruerunt; plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt. Et cum arte & Marte ſatis euidentem ſummorum in Repub: Dynaſtarum ſibi amorem conciliâſſet, pietate quoque, omnium Largitori Deo placere exoptauit. Hinc capellam cultus diuini indicium perenne, in villa Kiie territorij Viſlicienſis erexit, & abundè dotauit. Huius veſtigia Ioannes in Gołuchovv hæres ſecutus, in ſacello arcis Iaroſlauiæ altare fundauit. Prætermitto Andream de Gołuchovv Succamerarium Sendomirienſem, prudentiamq; & animi candorem, Viri omni ſæculo inæſtimabilis, qui cum in Comitiis regni omnium ſuffragiis ordinum defenſor finium, & pecuniæ pro ſtipendijs militum, ex vniuerſali contributione prouenientis diſtributor eſt electus, adeò ſolicitè hoc munus longo tempore obibat, vt nemini vnquam etiam iniquo vllam conquerendi præberet occaſionem. Non adduco Ioannem & Andream alterum Stezycenſem, alterum Sendomirienſem Iudices, viros maturo judicio, & legum peritiâ inſignes. Prætereo Raphaelem firmatæ prudentiæ virum, terræ Sendomirienſis Subiudicem, cui etſi ſublimes honorum curules conferrentur, omnes tamen ſpreuit, præ-

habitâ

habitâ dignitate contentus. Taceo eiusdem prænominis Subdapiferum Posnaniensem authoritate dignissimum. Nullam facio mentionem, virorum fortitudine paucis comparandorum, qui in Bellonæ castris, solius amore Patriæ tutandæ ducti, totum vitæ cursum transegerunt, & plurimi pro eius immunitate retinenda sanguinem inter hostiles acinaces fuderunt. De quorum numero possem adducere Ioannem & Petrum strenuos & insignes bellatores, qui ad Smolenscum generosè cum hoste dimicantes occubuerunt. Possem cōmemorare Nicolaum Goluchovvski annis viginti in bello stipendia merentem. Possem Raphaelem scientiâ bellandi toti Reipub: commendatum, & vltra lustrum quartum de hostibus triumphatorem. Possem multos alios referre sua ob merita omni æuo celebrandos. Sed quandoquidem nulla in hostem bellica expeditio fuit, cui aliquot viri hac de stirpe tanquam robora Achillea adesse non reperirentur, ex industria eos intermitto. Paucis dicam GOLVCHOWSCIORVM Prosapia, tot ac tantos viros est complexa, vt ipsorum numerus & splendor, tam arcto temporis spatio, & angusto codice nequeat definiri. Sed ne longius extra orbitam mei propositi progrediar, & aliorum Epidicticus iudicer, ad peculiaria Viri nuper à nobis (proh dolor) sublati facta succinctè attingenda me demitto. Etsi magnum & laudabile claris nasci parentibus,& illorum imaginibus antiquis, meritis sanguineo sudore partis, nostras porticus illustrari censemus; his tamen Illustris GOLVCHOWSCIVS piè defunctus non cōtentus, eam subitò ab initio ætatis induit opinionem, sibi imitationem solummodò continuam, non segnem relictam iactantiam meritorum. Nam vt primùm ex ephebis excessit, atq; ijs artibus, quibus ætas puerilis & cerea ab innata ruditate liberatur, & ad humanitatem informari solet, in palæstris intra fines Patriæ apprimè fuit imbutus, statim externa gentium regna longè dissita erudissimis viris & liberalissimis studijs affluentia meditari cœpit, vt è præstantissimorum quorumuis ingenijs ac virtute flores legere, & quæ optima essent ex frequenti libamento, instar apum, in dulces mellis fauos aliquando posset immutare. Quò postquam ventum est, non ad languida otia, sed honestissima negotia, non ad vrbium ornamenta spectanda, sed studia sedulò tractanda properauit; adeò vt totum trium lustrorum tempus in exacta cùm aliarum vtilissimarū artium, tùm maximè earum quæ Reipub: curas gerentibus sunt necessariæ,

extra solum Patriæ, contereret indagatione. Contendebat ille, & in hac totus cogitatione versabatur, vt non à limine Musas salutaret, nec primoribus labris illarum Castalios fontes degustaret, sed vt abstrusa quæq; & in profundo difficultatum puteo demersa intimè penetraret, ijsq; bonis ditatus, solidè doctus ad Patriæ Ciues, & ipse bonũ acturus Ciuem, valeret commigrare. Tam autem incredibili sciendi desiderio æstuabat, vt non satis omnium liberalium artium disciplinis erudiri arbitraretur, nisi his quoq; integrum Physiologiæ, Ethices, tum Iuris prudentiæ studium adiungeret. Nec modò hæc optimè callebat, sed limpidos quoq; supremæ scientiæ (Theologiam intelligo) latices rimando, sublimem retulit fructum. Quod non tantùm apud exteros præstitit, verùm hîc etiam patrios inter Lares solicitam rei Familiaris curam, & Reipub: rationem administrandæ ingressus, idem studium inflammatum, eandem consuetudinem discendi, quæ jam penitùs suam in naturam abierat, deponere nequibat, quin etiam vrgenti Reipub: abreptus necessitudine, Historicorum & Politicorum lectioni vacaret. Non ille otio nihil boni suadenti, matri nugarum & nouercæ virtutum indulgebat, sed aut sapientiæ quæ sanitas est animi, via ad quietem indagandæ iugem operam nauabat, aut de remedio ægrotanti Reipub adhibendo, eiusq; statu felici retinẽdo meditabatur. Cato Vticensis tantoperè studijs deditus fuisse perhibetur, vt etiam in Senatu obiectâ leuiter togâ lectitaret. Hunc intrepidè dicã, CAPITANEVS singulari prudentiâ decorus, si non superauit certè adęquauit, qui semper quoad cõmuni nobiscum aurâ fruebatur, tam sedulus literarum extitit cultor, vt ab illis nullo aut commodo abstraheretur, aut aliquâ voluptate auocaretur, aut deniq; nimio somno retardaretur. Nunquam suam naturam docilem, & difficilium capacem pigrescere sinebat, sed eandem omni scientiarũ genere expoliebat, vsu frequenti comprobabat. Vndè cùm eius fama scientię & vis, per diuersa & remota huius Regni territoria diffunderetur, ac in omnium auribus nobilium increbresceret, protinus sublimes eius ingenij dotes, vniuersi suspicere, studium cupere, grauissimarum causarum authorem habere exoptabant. Graue fuit & non sine ingenti suorum iactura bonorum, multoties ad generalia Regni comitia Legatum agere? nihilominùs inclytus CAPITANEVS solicitis Equitum precibus victus, & suffragijs omnium electus, egit & commissa felici fine terminauit. Graue & magnum in Commissarium Vniuersæ Reipu-

blicæ

blicæ Polonæ voto eligi, & ad Suecos seditionum procellis agitatos iucundæ causâ pacis ineundæ mitti? electus prudentissimus CAPITANEVS missus, prosperè optatas attulit inducias. Graue fuit tot Ciues Patriæ nimiũ inter se animis dissidentes conciliare & vnire? conciliauit & vniuit CAPITANEVS. Quæ omnia an putatis eum suis cõmodis ductũ fecisse? procul absit viri integerrimi: maioribus quippe illi in votis esse consueuerat, proprium sentire detrimentũ, quàm vel minimam Reip. emolumenti intermittere propagationẽ. Hoc vnicũ semper meditabatur, quibus fundamentis & medijs, S. R. Maiestatis amplitudo tuta fieret, dignitas augeretur, & libertas Reipub. firmaretur. Et sanè: quis constantis iudicij grauitate, Polonæque libertatis peritiâ, aut cautior aliquando, aut prudentior extitit? Quis emergentia crebrò periculosa negotiorum momenta, præsentia acriùs, imminentia sagaciùs, dubia euidentiùs, insidiosa solertiùs expendit? Quis vota cùm in partialibus, tùm generalibus regni Comitijs, aut validiora, aut salubriora tulit? O desiderium extinctũ! O viuam virtutum imaginem, & vnicum viri sapientis exemplar! O dolorem nullo lachrymarum torrente mitigandum! Pandora Deorum mater, fingitur à Poetis integram perfectionem, & dotes Numinum reliquorũ, suâ naturâ comprehendisse. Profectò viri ornatissimi, nihil præter rem dicam, si demortuũ GOLVCHOWSCIVM huic comparabo, in quo solers & prouidus animus cum venusto corpore, morum decentia, cum excelsa rerum prudentia certabant, & reliqua bona mentis ac corporis, tanquam pretiosi lapilli radiabant. Iustè Patria tanto mærore conficitur; quippe illo orbata viro, cui nec in deliberando consilium, nec in communi bono promouendo cura defuit vnquam: nam si res anceps accidit, sapientissimus: si publica promouenda cõmoda, studiosissimus apparebat. Iustè lachrymis perfundimur: quia eo viro caremus, qui tantam rerum omnium vt diuinarũ ita humanarum cognitionem, (prout omnes testes esse possunt, qui cum eo conuersabantur) summo labore & industriâ sibi cõparauit, vt nihil admiraretur, nihil non sciret, sed omnia velut oracula proferret, & cedro notanda loqueretur. Iustè pullatâ veste induimur: nam eum Heroem desideramus, qui non modò linguarum exoticarum, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, Latinæ peritissimus habebatur, sed etiam mores & leges multarum Nationum, Reipub: meliùs gubernandæ plurimùm conducentes, ita perspectas habuit, vt eum non ordinari sed

ordinare perpetuò oporteret. Paucis multa complector, illi
extremos persoluimus honores, in quo summa omnia, sum-
mus ipse, homo positus vix non supra homines, quem o-
mnes imitari velint, sed frustra: quippe attingent paucissimi.
Sed hîcne jam meta illius encomiorum statuenda? immò ne
initium: Enimuero dum in virtutes moris vel leuiter oculos
conijcio, latissimus campus aperitur dicenti. Nec mirum: ea
si quidem virtutum natura est, cum prudentia connecti, &
velut lineæ apsidis ad centrum, ita virtutum species, ad pru-
dentiam terminari; hinc vbi vnam reperias ibidem omnes re-
liquas nō ignores. Quid? an nos in proposito rem aliter se ha-
bere arbitrabimur? ne cogitandum quidem: hîc enim si do-
minam & reginam omnium virtutum justitiam inquiro, Ari-
stidem vt asseram est necesse; cùm ille toto vitæ suæ decursu,
cuiq; suum tribuendo, ab hac ne latum quidem vnguem de-
uiare studuerit. Ille vt nec falli, ita nec fallere quenquam, aut
iniuriosè tractare nouerat. Ille iniurias ab alijs sibi illatas æ-
quo ferre animo, laudabile semper ducebat; vnde sæpius in-
ultus siluit, & tunc se victorem, funestam autem inimico de-
disse plagam intellexit. Sciuit optimè virtutis plurimos re-
periri osores; non dubitauit, inuidos rebus opimis marcesce-
re obtrectatores; non tamen vlciscendi medium, sed obliui-
scendi remedium adhibebat. Hi profectò si qui fuere,

Virtutem incolumem oderunt,
Sublatam ex oculis quærent inuidi.

Silentio inuoluo illud, quàm diligenter munus boni Iu-
dicis obiuerit, & id solummodò quod leges & æquum suasê-
re promulgârit. Nec mirandum: quandoquidem non mo-
dò probitate sed etiam legum peritiâ, nec tantùm his verùm
justitiæ amore insignis semper extiterit. Nunquam se ad no-
uas leges suo pro arbitrio condendas natum, sed latarum pru-
dentem & sedulum esse interpretem existimauit. Quarum
vim non ex verbis, sed ex mente intelligebat. Non lucris suo
ab instituto poterat abduci: cum sibi à Deo glorioso opes suf-
ficientes concederentur. Non affectu quopiam ab æquitate
auocari: cum vir solidè eruditus, ne minimis affectibus mo-
ueatur. Sed vt diameter ab angulo ad angulum mediam fi-
guram præscindit, & vtrinq; spatium relinquit æquale; pari
ille modo neutram in partem propensior, medio semper æ-
quitatis tramite tutissimus ibat. Alexander Magnus orante
accusatore, alterâ manu aurem obturare consueuerat, qui
dum à proceribus interrogaretur, cur id faceret, respondit,

dan-

dandum esse audiendi locum defensori, & aurem alteram querimonijs vacuam relinquendam. Ita profectò ita Integerrimus CAPITANEVS, nihil vnquam sanciuit, nisi meritis vtrinque causæ justâ maturi judicij lance expensis non seuerè sed benignè, non perperam sed attentè omnia trutinando. Sed non vult eius Astræa fusiùs laudari, cùm niuea tota sit, & omnis maculæ expers; triclinium igitur GOLVCHOVSCII largâ liberalitate meliùs quàm ditissimo peristromatum splendore adornatum ingredior. Vbi quid priùs dicendū, ambiguus hæreo: siue enim in hospitibus tractandis eius animum specto, humanissimum; siue in pauperum egestate subleuanda, liberalissimum animaduerto. Testes omnes eius alacritatis candidos & fidos amicos appello, qui incolumem singulis fermè diebus conueniebant, & semper promptum, aut veriùs dicam, promptissimum experiebātur. Testes sunt vt sanguinis ita affinitatis vinculo concatenati, quos ille humaniter semper excepit, eorum beneuolentiam in se propensiorem faciendo, innatumq; amorem firmando. Testantur eius liberalitatem ædes sacræ, quibus cum sua vrna decem millia dicauit. Testantur tot Monasteria, quibus crebrò stipem vltrò largâ manu conferebat, colligentibus autem largissimè prouidebat. Testantur xenodochia, quæ ipsius opibus sustentabantur. Testes sunt vniuersi, inopes, oppressi, miseri, qui huc velut ad certissimum refugij Asylum, pro auxilio, consilio, solatio confluebant, & nunquam vacuis manibus, aut tristès redibant. Testes deniq; ingenuis artibus instructi, qui eum tanquam insigniter eruditum, literarum literatorumq; amantem, incredibili amore prosequentes, libentissimè cum eo conuersabantur, & plurima munificentiæ signa referebant. Sed parua hæc sunt majora audite; nempe hunc virum quamuis cùm ingenij promptitudine, multifariâ rerum cognitione, plurimos anteiret; tum non paucos bonis fortunæ superaret, tamen nec alto supercilio quenquam intueri, nec tumido sermone alloqui, nec deniq; parui æstimare, vel (vt alijs moris est) contractâ fronte contemnere vnquam solitum fuisse. Non ille infimæ sortis hominibus, benignam aurem denegauit; non vernarum operâ ad iniurias subditorum cognoscendas vsus, sed quoslibet dum libuit seipsum adire, rationem aduentus, aut querimoniæ (suo non sine tædio) exponere patiebatur. Vidimus sanè vniuersi, GOLVCHOWSCIVM Nobilissimum sua ob merita duarum honoribus satrapiarum condecoratum, sed humiliter non

arroganter, non injuriosè sed clementer omnia agentem vidimus. Non ignorabamus sufficienter bonis fortunæ cumulatum, haud tamen prodigè viuere, non fastu vti sed solâ virtute collucere experiebamur. Sciebat sanè magistratum non arrogantiâ sed prudentiâ, morumq; venustate regi, collustrari. Taceo eius animum generosum in calumnijs tacitè sustinendis plus quàm Achilleum. Prætereo comitatem affabilitate permistam, cum sit omnibus manifesta. Consultò innumeras alias virtutes prętermitto, solam pietatem, cùm in dulcem Patriam, tùm in salutis humanæ Restauratorem Deum, tacitus nequaquam silebo. Quam nonne insignem toti Reipub. exhibuit? cùm in eius præsidium & ornamentum, non modò turmas militares proprio labore coegit, suis de sumptibus aliquòt annorum stipendia prouidit, sed etiam consilio singulari, & prudentiâ, crebrò eidem subuenit. Hęc nunc si loqui posset, non alijs verbis viri occasum deploraret. O mortem omnium Tyrannorum crudelissimam! Quæ te obsecro Furiæ agitabant, vt è medio bonorum, Ciuem optimum eriperes? An sæuitiem istam hominum vilioris status raptù, & nullâ literaturâ tinctorum explere nequibas? Num GOLVCHOWSCIVM meæ integritatis anchoram, communis libertatis fulcimentum ignorabas? Hoc sublato restabit mihi in perpetuo mærore versari, & acerbissimos ciere lachrymarum fontes: quidquid enim bonorum, quidquid decoris, quidquid voluptatum, ac diuitiarum habui, eorum omnium magnam omnino vnico prudenti GOLVCHOWSCIO surrepto, ex torsisti portionem. Nec alia Remp: suo de Ciue dignissimo credite dicturam. Quantopere autem fidem orthodoxam adamauerit, vel inde manifestò patet, quod Redemptorem humani generis Deum, jugiter mente purâ veneraretur, in eius mandatis Sacrosanctè obseruandis fidelissimum, in gloria diuina & Religione Catholica promouenda acerrimum se præstitit Sectatorem: Vnde siue in publico cōfluxu, siue etiam (quod frequenter contigerat) domesticos inter parietes, à nemine qui ab Ecclesia Romana auulsus esset, permittebat Numen diuinum impijs voculis & falsis dogmatum figmentis lancinari; quin protinus resistebat si quis animo anceps esset, erroreq; confutato, tela in auitam Religionem Polonorum jacta, in ipsum aduersarium retorquebat. Tanto verò semper pietatis studio tenebatur, vt non modò singulis tremendum missæ sacrificium diebus attentè & deuotè audiret, sed Presbyterum quoq; eruditum, amplo eidem solario assignato,

cum quo commodius de diuinis conferre & differere posset, continuum suæ mensæ conuictorem fecit & aluit. Cum verò nobilissimam hominis partem, occulta quædam ægritudinis premeret vehementia, (eloquar an sileam, quanto pietatis amore exarserit?) Subitò animi sui onus in aures & arbitrium Presbyteri, & suæ conscientiæ Iudicis deponit, crimina sine quibus nemo est tacitus fatetur, à cœlesti medico, à terrenis desertus sanari, & certum animæ remedium exposcit. Post languida membra, debito in horas vigore priuanda ad quietem componit, vltimam volũtatem aperit, oleo sacrato suum corpus vngi ad nuptias Regis æterni disponi & amiciri iubet. Reputate vobiscum viri clarissimi, quantis tunc Domus tota gemitibus & luctu personabat? quantis lachrymarum imbribus exuberabat? quàm deniq; nihil aliud, nisi dolorem & mœrorem loquebatur. Sed cùm iam animus ergastulo humano liberari cupit, Redemptoris in Cruce expansi figuram sibi porrigi mandat, eandemq; vehementissimo pectori affectu applicat, ipse suauiatur, & totam seruorum generosam coronam, se circumstantem idem facere hortatur. Quid amplius? cum iam superior pars corpus sensim deserit, voce cygneâ tremendum Saluatoris nomen triplicat, ac Deiparæ semper virginis subsidium & momentum implorat. Tandem spiritum iam iam exeuntem retrahit & sub grauissimo morbi pondere anhelans oculis ad veram orthodoxè credentium Patriam extensis, piam animam exspirat. Et cum iam extremam vitæ molestæ periodum Inclytus CAPITANEVS terminauit, doloris copiâ supprimor, titubanti singultu impedior, vberrimo lachrymarum fonte obruor nec fusior in dicendo esse possum. Credo vos luculenter perspexisse Viri amplissimi, & quàm de illustri stirpe atq; innumeris honorum fascibus condecorata, præstantissimus ABRAHAMVS GOLVCHOWSCIVS traxerit originem, & quàm prudenter totum vitæ suæ curriculũ ac probè peregerit, eum igitur non obijsse sed abijsse; non mori sed nouam & longè meliorẽ vitam ingredi; non sublatum, sed ad oras solis iustitiæ radijs perpetuò coruscantes translatum scitote: Quippe nefas est sinistrum illi exitum contigisse, qui semper rectè vixerit; nefas à patria suprema aberrasse & bonum perfectissimum non comprehendisse, qui hoc vnicum in orchestra mortalitatis positus suspirabat, ad idq; recto virtutum calle contendebat. Ingressus dubio procul interminabilis portam æternitatis,

qui ita vixit vt superſit cum deſiit. Meruerat quidem Polonia diutiùs tanto viro gaudere, niſi ille dignior cælo, non iam hominibus, ſed Cœlitibus ſtipari meruiſſet. Viuit ille & viuet, cum inter beatos ſpiritus dulciſſimam vitam, tum nomen eius in omnibus Europæ & cæterarum cultiſſimarum Nationum plagis, ac eruditorum mentibus perpetuò reuireſcet. Cuius nunc primùm veras laudes noſtra Lechia inchoabit, quando viro ſagacis, & prudentiæ ſingularis egebit. Viuit ille feliciter, & omnes alloquitur extremè. Sol imperij Lechici SERENISSIME VLADISLAE IV, cui me fidelem ſemper & promptiſſimum in omnibus præſtiti, incolumis quàm diutiſſimè hanc Rempub: Tuo præſidio proſperam tranquillè guberna; meæ domus Lunam ſtelliferam colluſtra, mihi ſanguine iunctos benigno ſemper vultu intuere, virtutem eorum promoue, præmijs ad maiorem ſuſcita & à me vale extremum habe. Nobiliſſimi regni Proceres valete, & ita Patriæ veſtræ conſulite, vt nec huius nec æternæ (quod auertant ſuperi) felicitatem amittatis. Vale diu Coniunx dilecta, optatos rerum ſucceſſus experire, meiſq; manibus auxiliare. Valete omnes cognati, veſtræ Lunæ maiorem in dies ſplendorem fieri contendite, vt & infra lunam poſiti & ſupra translati plenè luceatis. Et vos meis quondam ditionibus ſubiecti valete mortales, quos nunquam offendi niſi veſtris moribus offenſior; DEVS tamen omnia nouit, igitur parcite mortuo, ipſi morituri, quibus Saluator omnium Deus grauiora pepercit. Deniq; vniuerſi, qui ſeu proſpera, ſeu aduerſa viuenti cupijſtis valete, & mori mementote. Nos viciſſim quid ad hæc reſponſuri? nihil opportuniùs quàm vale orthodoxæ Religionis acerrime cultor. vale tuæ decus Familiæ, pacis communis & libertatis Patrone, literarum amor, eruditorum delicium. Iam valeto vir magne prudentiâ, magnanimitate, manſuetudine, temperantiâ; vno verbo omnibus virtutum theſauris cumulate, cui nos æternùm vnanimi voto beatam inter Cælites vitam comprecamur.